

accidere solet, etiam affectata ac minus convenientia. Christianus Weisius collegit in peculiari libro, additis quibusdam argutiarum præceptis, varias inscriptiones, a clarissimis viris adornatas; at potuissent afferri plures, optandumque ut egregia ejusmodi recentiorum exercitia & conamina in unum volumen redigerentur. De Elogiorum scriptoribus, qui virorum illustrium vitas in epitomen contractas exhibent, quo Pauli Jovii, Theodori Bezæ, Nic. Reusneri, aliorumque labores spectant, hic dicendi locus non est.

*Christiani Weisii de argutis inscriptionibus liber.*

## CAPUT. V.

DE RATIONE TRACTANDI  
PER PARADIGMATA SEU  
EXEMPLA.

## §. I.

**P**aradigmaticus seu Exemplaris docendi modus ille dicitur, quo præcepta moralia, omnesque ad virtutes & vitia pertinentes doctrinæ, luculentis exemplis vel ad imitandum, vel fugiendum propositis, illustrantur. De promuntur ejusmodi paradigmata ex Historia, quæ magistra vitæ Tullio dicitur, in cujus lectione, ut ait Livius *in præfatione Decadis primæ*, illud est præcipue salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, unde tibi tuæque reipublicæ, quod imitère, capias: inde  
foedum

*Paradigmaticus seu exemplaris docendi modus in quo consistat?*